

# EPISTULA LEONINA

## CCXXIX

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-**CCXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM UNDETRICESIMAM (229) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA</b> .....	02-03
<b>NON FUROR EST NE MORIARE MORI?</b> .....	04
<b>EPITAPHIA CANARIA</b> ( <i>Bartoli e.m.al.</i> ).....	05-12
<b>FORMALI COGNITIONE CRESCENTE AUGERI PERICULUM</b> ( <i>Teresi</i> ).....	13-24
<b>IOHANNIS KEPLER STRENA (III)</b> .....	25-26
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE</b> .....	27-28
<b>ECCE LIBRI LEONIS LATINI</b> .....	29-32

## PRAEFATIUNCULA

### LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

#### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*gaudenter Te invito, ut fruaris et hellueris lectione Epistulae Leoninae ducentesimae undetricesimae. Hac quoque in Epistulâ Leoninâ habemus vehementer varia: Primo docent nos Lucretius et Seneca et Martialis stultitiam esse timore mortis mori. Quod dictum non solum spectare specialiter ad veteres Romanos, sed ad omnium aetatum homines generaliter, cum aliis tum his diebus saepius etiam in actis diurnis legimus<sup>1</sup>.*

*Hesterno vespere conferentiae interretialis Academiae Latinitati Fovendae (ALF) particeps audivi acroasin, quam fecit Christianus Laes eiusdem Academiae Vicepraeses, a quo accepi pulcherrima epitaphia canaria, quae magnas gratias agens ultimâ in horâ redactionis Leoninae huic Epistulae addidi.*

*Tertio loco vobis commendo symbolam lectoris et redactoris fidelissimi, cui nomen est Iohannes Teresi. Bonus Iohannes Leoni iam ex multis annis mittit relationes et poemata et doctê et sedulê conscripta sapientiae theologicae et philosophicae*

<sup>1</sup> e.g. [https://www.zeit.de/1956/12/selbstmord-aus-angst-vor-dem-sterben?utm\\_referrer=https%3A%2F%2Fwww.google.de%2F](https://www.zeit.de/1956/12/selbstmord-aus-angst-vor-dem-sterben?utm_referrer=https%3A%2F%2Fwww.google.de%2F): 22.März 1956: „Selbstmord aus Angst vor dem Sterben – Das Atomzeitalter – vom Physiker und vom Soziologen gesehen. – cfr <https://www.welt.de/politik/deutschland/plus224226256/Lockdown-bis-Ostern-Palmer-Das-ist-Selbstmord-aus-Angst-vor-dem-Tod.html>: 12.Jan. 2021: „Lockdown bis Ostern? – ‚Das ist Selbstmord aus Angst vor dem Tod‘“ (Boris Palmer).


*plenissima. Quae scripta Leo semper accipit animo laeto atque grato, sed interdum paululum timet, ne lectores quadamtenus offendantur difficultate intricatissimâ theorematum Teresianorum – quibus legendis ipse Leo vehementer aestuans torquet ingenium suum. Exempli gratiâ in hac Epistulâ Leo ausus est publicare Iohannis relationem philologo-philosophicam, in quâ îdem fabulâ usus **Iulii Verne** illustrissimâ, quae spectat ad **Michaelem Strogoff** nuntium Imperatoris Russorum fortissimum atque fidelissimum, studet demonstrare formali cognitione crescente augeri periculum, in quod venerit genus hominum. Babae! Argumentum argutissimum ! Huic symbolae philosophicae interserui multas imagines delectabiles, ut amarum medicamentum philosophicum, quo anima lectoris sanaretur, more Lucretiano bibenti facerem iucundiolem orae poculi allito melle dulcissimo.*

*Age, cara Lectrix, care Lector, parata tibi est cena Leonina: tolle gusta bibe comede: miraberis !*

**Medullitus Te salutat**

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 28. m.Febr. a.2021**



## NON FUROR EST NE MORIARE MORI?

MARTIALIS 2,80 Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit./ Hic, rogo, **non furor est, ne moriari, mori?** ---- cfr LUCRETIUS, *De rerum natura* 3,79-82. et saepe usque adeo, **mortis formidine, vitae/ percipit humanos odium lucisque videndae,**/ ut sibi consciscant maerenti pectore letum/ obliti fontem curarum hunc esse timorem. --- cfr SENECA, *Epistulae morales ad Lucilium* 70,8 Aliquando tamen, etiam si certa mors instabit et destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit poenae suae manum: sibi commodaret. **Stultitia est timore mortis mori:** venit qui occidat, exspecta. Quid occupas? quare suscipis alienae crudelitatis procreationem? utrum invides carnifici tuo an parcis?

# EPITAPHIA CANARIA\*

## 1. EPITAPHIUM QUOD PEPIGIT

**ALAFREDUS BARTOLI (1872-1954)**



### IN TUMULO CANIS MEI

UNUS QUI SOLI FUERAS MIHI TRES COMES ANNOS

HIC TRISTI EREPTUS MERSULE SORTE IACES

AT PAENE HUMANI HOC PATEANT EX MARMORE SENSUS

MAIOR ET HUMANA MERSULE CARE FIDE !

---

\*Gratias ago **Christiano Laes** Professore Vicepraesidi Academiae Latinitati Fovendae (ALF), cuius acroasin h c vespere (d.27.m.Febr. a.2021, h.17-18h) sub aegide ipsius ALF transmissam audivi per systema interretiale, quod appellatur ZOOM. Hac in acroasi Christianus scit  et disert  tractavit periodicum neolatinum **Alfredi Bartoli**, c.t. "**Rosa Melitensis**". Perplacuerunt mihi et pronuntiat s et transmissionis claritas maxim  intellegibilis necnon argumenti iucunditas. Iam ter audivi tales doctas relationes Latinas interreti delectabiliter transmissas; de bello locutus est Dr.**Gaius Licoppe** Nestor Academiae Latinitatisque vivae, de periodico Latino in Hungari  edito Professor **Theodericus Sacr ** praesidens Academiae Latinitati Fovendae. Utinam haec series acroasium tam feliciter pergatur fieri quam incohata est. Christianus editurus est commentationem, quae spectat ad hoc thema (iam sub prelo est): **LAES, Christian: Rosa Melitensis (1908-1910). A Latin Journal and the Maltese Episode in the Life of Alfredo Bartoli ( 1872-1954).**

## EPITAPHIUM HELENAE ([CIL VI 19190](#))<sup>1</sup>



**ECCE IMAGO CANIS ECTYPA**

(Sed inscriptio potius videtur dedicata esse homini)

**Helena alumnae  
animae  
incomparabili et  
bene merenti.**

**ECCE LAPIS SEPULCHRALIS**

**CANI DEDICATUS, CUI NOMEN FUIT AMINNARACUS ([CIL VI 29895](#))**



<sup>1</sup> Epitaphia, quae sequuntur, **Christiano Laes** ducente inveni in pulcherrimo situ interretiali **Petri Kruschwitz** archaeologi, c.t. "The petrified Muse": <https://thepetrifiedmuse.blog/2015/06/20/every-dog-has-his-day/>: [Every Dog Has His Day](#) Posted on [June 20, 2015](#) by [Peter Kruschwitz](#)

**ECCE LAPIS SEPULCHRALIS  
CANI DEDICATUS, CUI NOMEN FUIT  
HEURESIS ([CIL VI 39093](#))**



**EPITAPHIUM CANIS FEMININAE, CUI NOMEN FUIT  
AEOLIS  
([AE 1994.348](#); Praeneste/Gallicano nel Lazio)**



*Aeolidis tumulum festivae  
cerne catellae,  
quam dolui inmodice  
raptam mihi praepete  
fato.*

## EPITAPHIUM CANIS CUI NOMEN FUIT FUSCUS

([AE 1994.699](#); Concordia)

*Hac in sede iacet post reddita fata catellus(!),  
 corpus et eiusdem dulcia mella tegunt.  
 nomine Fuscus erat, ter senos apstulit annos.  
 membraque vix poterat iam sua ferre senex.  
 [- - -]verit [- - -]*

## EPITAPHIUM CANIS ANONYMI

([CIL IX 5785](#) = CLE 1174; Ricina/Recina)


*Raeda[r]jum custos  
 numquam latravit  
 inepte. nunc  
 silet et cineres  
 vindicat um-  
 bra suos.*





**EPITAPHIUM CANIS CUI NOMEN FUIT MYIA  
(MUSCA)**

(CIL XIII 488 = CLE 1512; Eliumberrum/Ausci/Auch)



*Quam dulcis fuit ista quam benigna  
quae cum viveret in sinu iacebat  
somni conscia semper et cubilis  
o factum male Myia quod peristi  
latrares modo si quis ad cubaret  
rivalis dominae licentiosa  
o factum male Myia quod peristi  
altum iam tenet insciam sepulcrum  
nec sevire potes nec insilire  
nec blandis mihi morsib(us) renides.*

## EPITAPHIUM CANIS CUI NOMEN FUIT PATRICUS

([CIL X 659](#) = Inscr. It. I 1.228 = *CLE* 1176; Salernum/Salerno)

*Portavi lacrimis madidus te nostra catella,  
quod feci lustris laetior ante tribus.  
ergo mihi, Patrice, iam non dabis osculla mille  
nec poteris collo grata cubare meo.  
tristis marmorea posui te sede merentem  
et iunxi semper manib(us) ipse meis,  
morib(us) argutis hominem simulare paratam;  
perdidimus quales, hei mihi, delicias.  
tu dulcis, Patrice, nostras attingere mensas  
consueras, gremio poscere blanda cibos,  
lambere tu calicem lingua rapiente solebas  
quem tibi saepe meae sustinuere manus,  
accipere et lassum cauda gaudente frequenter*

-----



**OPUS TESSELLATUM ALEXANDRINUM**



## EPITAPHIUM MARGARITAE

Haec inscriptio tabulae marmoreae, quae sequitur, invenitur in Museo Britannico Londinensi (*CIL* VI 29896 cf. p. 3734 = *CLE* 1175)

*Gallia me genuit, nomen mihi divitis undae  
 concha dedit, formae nominis aptus honos.  
 docta per incertas audax discurrere silvas  
 collibus hirsutas atque agitare feras  
 non gravibus vinc(u)lis unquam consueta teneri  
 verbera nec niveo corpore saeva pati:  
 molli namque sinu domini dominaeque iacebam  
 et noram in strato lassa cubare toro.  
 et plus quam licuit muto canis ore loquebar:  
 nulli latratus pertimere meos.  
 sed iam fata subii partu iactata sinistro  
 quam nunc sub parvo marmore terra tegit.  
 Margarita.*

## DE ISSA CANE

(MARTIALIS I, 109)

Issa est passere nequior Catulli,  
 Issa est purior osculo columbae,  
 Issa est blandior omnibus puellis,  
 Issa est carior Indicis lapillis,  
 Issa est deliciae catella Publi. 5  
 Hanc tu, si queritur, loqui putabis;  
 sentit tristitiamque gaudiumque.  
 Collo nixa cubat capitque somnos,  
 ut suspiria nulla sentiantur;  
 et desiderio coacta uentris 10  
 gutta pallia non fefellit ulla,  
 sed blando pede suscitatur toroque  
 deponi monet et rogatur leuari.  
 Castae tantus inest pudor catellae,  
 ignorat Venerem; nec inuenimus 15  
 dignum tam tenera uirum puella.  
 Hanc ne lux rapiat suprema totam,  
 picta Publius exprimit tabella,  
 in qua tam similem uidebis Issam,  
 ut sit tam similis sibi nec ipsa. 20  
 Issam denique pone cum tabella:  
 aut utramque putabis esse ueram,  
 aut utramque putabis esse pictam.

**EPITAPHIA CANARIA**  
**COLLEGIT**  
**LEO LATINUS**

# FORMALI COGNITIONE INCRESCENTE AUGERI PERICULUM

Quid discamus ex Iulii Verne Francogalli fictione scientificâ

*Scripsit Iohannes TERESI*




**Iulius Verne** auctor fabularum fecundissimus est, qui ingenio ad phantasiam inclinato mirificê utitur ad res excogitandas, quae suâ aetate nondum exstant. Qui narrator est quadamtenus acerrimo oculo, quo instructus nubes spississimas futuri perforans tempus ignotum petat, unde, ut legatus, civibus acta temporis secreta afferat. Multiplicia obiecta factaque narrationes implent, quibus auctor scientiâ geometricâ et mathematicâ usus monstrat, qualis scientia futura sit (temporis scilicet illius). Neque scientiae astronomicae principia Iulius ignorat, quibus motum caelestem demonstret.

Hic motus caelestis, qui valet ad varia elementa terrestria, notio fundamentalis in operibus eius apparet et invenitur seu in inclinationibus humanis seu in determinationibus geographicis.

Cum hîc loquimur de motu, in animo habemus intentiones passionales proprias motûs generalis rei universae.

Ita actores narrationum possunt esse prototypi actorum, qui in vitâ reali struunt artificia mentalia etiam ad malum operandum. Non secus quam in aliis narrationibus eiusdem generis optimê fingit fictione operatores perversos qui contra humanitatem agunt.



Hoc ad propositum una ex narrationibus suis ingens est: agitur de fabulâ, cuius titulus est *Michael Strogoff*. Videbimus quomodo acta actoris reduci hodie possint ad actus invisibiles sed realissimos contra genus humanum conceptos mente obscurâ et perversâ.


Hôc sub aspectu narratio Verniana narrationum modernarum, typicorum sectorum fictionis, simillima est, ubi maximus scopus est praedominatio sui vel generis conformis super multitudinem



conceptam velut victimam ad finem probatorum immolandam. Non proprius temporum recentium hic modus res sinistrê fictas phantasiâ inveniendi est. Contra proprius aetatis nostrae est coniungendi modus cum arte technicâ phantasiam. Nam magis inventiones technicae progrediuntur, magis negatio, quae derivatur non ex mediis sed ex voluntate, augetur per quam media generi humano imponuntur.

Non certê aetate modernâ instrumenta noxia structa sunt ad gentium exterminationem (vide v.g. quod factum est in Asiâ et in Africâ ab artificibus, qui dominatu gaudent non modo intellectuali sed etiam materiali in utroque campo ideativo-applicativo). Haec instrumenta non ignota sunt antiquis hominibus, nisi aliis modis constructa: etsi ad damnum hostibus conferendum parata, non dolo sed fine ad bellum apto arma et artificia concipiebantur. Aetate moderna artificia dolosa praevalent contra rationem belli (si bellum rationem habet). Ut arces olim expugnarentur, incolae fame et siti moriebantur obsidione durissimâ et longissimâ. Haud raro praeterea artifices rei militaris fontes aquae veneno polluebant, exterminationem incolarum statim efficientes.

Clara ratio nec iusta tribuenda est actibus similibus, at aetate modernâ acta militaria aguntur dolo, id est mente perversâ, quae non finibus



bellicosus pulsa ad intentionem graviorem movetur. Apud aliquos narratores, praesertim regionis anglo-americanae, haec intentio emergitur sub formâ maximê symbolicâ: nam cum apud antiquos agantur in actu res, hodie viri docti (non viri communes) sciunt se in actu symbolico res movere (non solum theoreticê). Quid hoc significet? Processu physico-mathematico adiuvante, hodie pervenimus ad cognitionem dematerialem, scilicet cognoscimus materiam non solum sub aspectu spisso, sed subtili.

Iam pridie haec intuitio, per mentem solum experta ut possibilitas futuribilis<sup>1</sup> (de quâ apud aliqua ingenia mysterium adhuc permanet), in capacitate phantasticâ patet *Iulii Verne*.

Tres sunt actores in narratione Vernianâ, quorum duo posteriores primo vehementer adversantur: *Michael Ostrogoff* et *Ivanus Ogaref* et *Feofarus Khan*, Princeps Tartarus.

<sup>1</sup> \*futuribilis, -e cfr Albert Sleumer, Kirchenlateinisches Wörterbuch, Limburg an der Lahn 1926, p.348: "futuribilis, ē, in der Zukunft möglich". - cfr Paul Gabriel Antoine, Theologia universa speculativa et dogmatica, Venetiis 1795, p.184: „Obj.3. Ut actus sit futuribilis seu futurus conditionate, debet extrahi e statu merae possibilitatis ad statum futuritionis. Sed ad hoc requiritur decretum absolutum ex parte actus & conditionatum ex parte objecti.“





Michaelis adversarii clam operantur; iisdem reverâ non cordi est rem publicam servare atque salvare, sed potius id maximê curant, ut mala consilia sua a se excogitata possint ad effectum adducere. Uterque agit sub praetextu salutis publicae: at re verâ unicuique est inclinatio animi malefica ad universum destruendum (ubi universum concipiendum est ut genus humanum, etsi ita configuratum, ut portio tantum inimica sit et ad parvulum spatium reducta). In mente cuiusquam actoris supra dicti nascuntur intentio et etiam exsecutio: nam quod ea interest imprimis est magis exsecutio quam theoria abstracta applicationis sceleris. Praeterea scelus numquam fit contra personam singulam, quae hoc in casu instrumentum fit quo malum universale effici potest.

Si conscientia ex eo consequitur, ut exstet, sola conscientia mali universalis emergitur.

Theoria est in mente flagitiosi actus symbolicus rei: meditatio iam actus est, etsi a re adhuc remota est. Cum quisque moveatur pro parte defendendâ, eliminatio partis restantis illimitata optatur et instrumenta ad actum res verê idoneae debent necessario esse. Pluris existimatur modus subtilis mortem universalem afferendi, flocci contra modi rumorem agentes considerantur. Peregrinatio vel motus inter partes

putatas inimicas ambulatio nefaria fit, cum quoque momento ex sacco viatoris scelerati oriri possit periculum maximum, etsi sub quâlibet



formâ concipitur. Si quo modo mens principis Tartari innocens patet prae duobus, quibus opponitur, si *Michael* se simplicem emissarium politicum ostentare vult, *Ivanus* timibilior<sup>1</sup> est, quia duabus rebus pellitur: vindictâ et pravitate. Plus: instrumenta noxia optimê novit, ut est miles gradu supremus.

In re narrativa: tartarus princeps *Khan* provinciam suam separare vult a dominatu imperatoris Russi; ad hoc obtinendum lineas telegraphicas destruit. Cum imperatore stat frater eius, qui in provinciâ suâ (*Irkutsk*) defectori se opponere conatur. Interea *Michael* mittitur ad fratrem imperatoris, ut actum proditorium Ivani contra imperatorem et fratrem patefaciat. Hôc modo *Ivanus Ogareff* actor primiceps fit, qui maximâ valet arte dissimulandi: dum palam gestum publicum bonum fratri manifestat, clam hunc gestum negare conatur instrumentis celatis.

<sup>1</sup> +**timibilis**, -e: cfr Antonio Raymundo Pascual, *Vindiciae Lullianae sive Demonstratio critica immunitatis doctrinae illuminati Doctoris B. Raymundi LULLI martyris...* tom.II, Avennionae 1778, p.586: “V.Artic.81. Desumptus videtur ex lib. De prima & secunda intentione, ubi cap.2 de Deo, sic à num.4. scribit Lullus: “Scias; Fili, quòd Deus sit magis amabilis quàm **timibilis**, quia amor est melior quàm timor; nam amor est infinitè, & aeternaliter in Deo, & timor habet principium; & quia Deus est magis amabilis quàm **timibilis**, ideo consulo tibi, Fili, quòd tu habeas intentionem ad Deum...”

Re verâ in mente huius actoris nefarii scelus sub ampliore proportione concipitur: nam non tam eliminatio singuli quam exterminatio multorum potest finem reddere tutum, qui sunt unicum impedimentum. Iam inventus exterminator ut technica universalis in mente perfidi viri confectus est.



Ita narrator praenuntiat similes modos nefarios saeculorum futurorum, monstrans inter mentem et naturam exstare capacitatem cogitativam, quae naturae studio alacriter ex imis se det, cum proprietates maleficium semper instent. Plus: in sacco hae proprietates vix inventae possunt transferri, dum tantummodo ambulatur. Satis ad hoc, ut parvulae ampullae liquorem continentes versentur opportunos in locos; satis ad hoc, ut parvula elementa biotypica diffundi possint etiam per aëra.

Non longinquus est narrator noster a considerationibus expressis ab auctore, cui nomen *Ouspenskij*, in libro, qui inscribitur "*Homines, beluae, dei*": ibi negatio centuplex interdum per media celata efficitur eâdem in regione geographicâ. Perfidi viri non instrumentis sonantibus et deflagrantibus hanc negationem universalem obtineri posse ostendunt; huic negationi mens insana et tacita inclinata est: hoc clarissimum est.

Narratio Verniana est historia proditoria, ubi sunt proditores celati et manifesti qui ad eundem finem modis et instrumentis diversis operantur: labefactionem adversariorum. In libro iam dicto auctor *Ouspenskij*, ut actor, qui personaliter res experitur, describit quo modo Russati initio Revolutionis Russicae (1917), id est milites, in homines inertes et inermes (agricolas plerumque) se ferociter et crudeliter

gererent, adeo ut incolae pagorum apparenter novae ideologiae adhaererent.



Russati, quos interea Albi persequebantur, non palam actûs praecipuê proditorios eligebant, ut incolae possent timere, ne actibus inopinâtê percuterentur. Qui iam nôtis methodis tribui poterant, satis ut, vigilantes stare die nocteque cogerentur.

Incolae didicerant modum agendi Russatorum ex actibus eorum repertis: nam ex improvise agi poterant, seu formâ seu modo saepius iidem manebant. Metus incolarum nascebatur datis actibus repetitis ex suspitione, quae in iis facta erat.

Scimus attamen actum proditorium actum repentinum esse in re, sed arte factum in antecessum, id est in praecognitione actum.

In actu concepto ab *Ivano Ogareff* duo tempora sunt: meditatio et exsecutio; actus erga fratrem imperatoris et erga Tartarum defectorem. Inde actus proditorius est simulatio per excellentiam, quae denique decerni investigatione opportuna potest gratiâ suspitionis.

Non eodem modo eveniunt facta cum elementa fundamentalia desint ut certa capacitas determinationis causa suspitionis stimulationis fiat: repetitio et conscientia.

Contingit etenim ut eventum tragicum partem orbis quandam afficiat: unde et cur? Nam in aliquâ parte collocatur vel bacterium

contagiosum, quod confectum est in aliâ orbis parte: hoc vel bacterium in laboratorio inventum est<sup>1</sup>



Artificium laboratoriale mente perversâ confectum (non verum est secundum auctorem supra dictum naturam in se capacem non esse res gignere aliquâ sponte habilitate) et propter finem destructivum conceptum, facillimê expanditur, in dynamica retia immersum, cuius mediator maximus fit ens vivens sensibilitate constitutum. Certissimê hoc ens punctum fundamentale quaestionis est: labefactio eius per destructionem inopinatam. Nam ens sensibile vivit et vitam suam mechanicê (hoc bene scimus) modo inconscio gerit: si quoque instante de actu specifico cogitaret, vita eius fieret peior quam damnati mythici Tartari.

Vivit et cum inscius vivat, agit, carpit, movet omnia mechanicê, id est gestu repetito. Cum inde vel bacterium inopinatê sumpserit, vitam

---

<sup>1</sup> vide Ignatium Licata, in libro "Complessità": Un'introduzione semplice, pag. 76.

suam normaliter pergitur, quoad momentum cruciale, id est symptomaticum, manifestetur.

Hoc momentum potest denotari ut explosio vel deflagratio, quia publicum fit et ab illo instante noxium putatur. Inde ferê culpabilis, quasi causa sit in eo, a societate amovetur et in locis remotis captivus observatur.

Deinde causa vera quaeri incipitur extra culpabilem, qui in origine indicium habet et fert. Generaliter individuum geneticum potest esse causa tanti damni, sed sufficit idem vivere a societate seclusum. Interea in externo alia individua inopinâtê vitâ defunguntur sine ratione patenti: quae est rei causa?

Cum symptomata causalia eadem manifestantur apud accidentaliter defunctum, suspicio generalis surgit, praecipuê in scienstarum mente. Sed viri, qui rem publicam curant, minimê apertê confitentur originem causae, quam in secreto cognoscunt: nunc apertê dicunt symptoma noxium exstare et efficere, ut remedia opportuna inveniantur. Unde calamitas publica annuntiatur: vigilantia fit stricta.

In libro supra dicto *Ignatius Licata*, theoreticus physicus Siculus, considerationes directoris libelli scientifici, cui nomen *Chris Anderson*, dicens affirmare iam theoriam olim conceptam cognoscentiae et adhuc praevalentem finitam (ergo superatam) esse. In scripto Libelli Scientifici, cui titulus *Wired* (2008), numquam data collecta fuisse asseritur, quae possint repraesentari ut mappae ad “Desertum quantitativum” transeundum aptae (vide op.cit.p.140). Haec data, quae sunt *big data*, permittent nos transire statim a teoriâ ad empiriam, quod efficiet vel posset efficere, ut eventa aetatis globalis non solum cognoscere sed praedicibilia fieri queant.

Nam hoc quadrum cognitivum, possibile factum gratiâ systematum virtualium, notam facit subsistentiam retium inter se connexorum, quae definiri possunt macro-retia.

Ex alterâ parte quodque systema affirmatur ut lineamentum specificum cum aliis coiens. Tamen haec specificitas non tangit connexionem cum aliis in structurâ globali gratiâ phaenomenorum,

quae possumus repraesentare sicut nodos connectivos et transversales, appellatos anglice *Huh*.

Scientista Sículus per has cogitationes, quae ampliores sunt quam nobis detur hîc facere, vult nobis praeberere imaginem conceptualem



nôtam, cuius autem intellectio maximê scientifica difficillima est, causa studiorum maiore cura tractandorum, sed parumper plerisque accessibiliem: complexitatem.

Humana societas universa exstat retibus inter se connexis et intricatis, quorum cognitio subtilitate instrumentorum cognitivorum deficiente, tantummodo potest definiri probabilis. Haec societas globalis (meminimus pagum globalem humanum) est et nos ducit ad globum aquâ, aëre, terrâ constitutum sed (hodie scimus) elementis psychophysicis. Haec elementa cum elementis naturalibus a *Licata* dicuntur struere *historiam*.

Si igitur possemus applicare theoriam physicae classicae (*Lagrange* et *Laplace*), quae elementis praedictis et praeterito nôtis repetitionem

configurationis horum elementorum annuntiat, et si possemus ūti datis, quae appellantur *big data*, omnia praevenire fingeremus.

Quod – ut dicit semper physicus noster – possibile non est, quia excedentia (anglice *spurious*) certitudinem irritam faciunt.

Si quid maximê noxium maximêque contagiosum proditoriê loco quolibet collocatum, periculum non pro parte tactâ sed pro universâ fit. Ita ab eo momento vitium sine impedimento entibus sensilibus mediantibus, quocumque diffunditur, quando docti vel doctissimi contra putant aetatem globalem a similibus rebus, praeteritorum saeculorum propriis, exemptam esse. Et hoc doctissimi affirmant propter molem datorum quae iam capaces sumimus per specificitatem cognoscendi et in ordine categoriarum ponendi. Immo dicendum nobis est hanc globalem societatem, gratiâ retium connexorum et motuum perpetuorum, medium maximum esse aptum ad diffundendum periculum materiale, sed magis psychicum (vide instabilitatem gentium iam planetariam).

Unde complexitas, quae melius debet complexio appellari, etiam elementa negativa includit, quando ductus humanus impraevisibilis est, cum a fortiori in possessione simus datorum innumerorum.

**IOHANNES TERESI ITALUS**

**EXEMPLO FABULA IULII VERNE**

**FRANCOGALLI**

**NOS DOCUIT**

**FORMALI COGNITIONE INCRESCENTE**

**AUGERI PERICULUM**



# IOHANNIS KEPLERI STRENA SEU DE NIVE SEXANGULA (III)<sup>1</sup>



**IOHANNES KEPLER**  
(1571-1630)

**Corpora regularia rhombica.** Quibus ego Rhombis admonitus, cepi in Geometria inquirere, num quod corpus regularibus quinque & Archimedeis quattuordecim, ex rhombis meris constitui possit: invenique duo, quorum alterum cognatum sit Cubo & Octaedro, reliquum dodecaedro & Icohaedro (nam cubus ipse tertii vicem sustinet, cognatus duobus tetraedris primum invicem coaptatis) primum duodecim rhombis clauditur, alterum triginta. Sed primo haec est communis proprietas cum cubo, quod ut anguli octo cuborum octonorum circa idem punctum coaptati locum omnem expleant, nullo relicto vacuo, sic Rhombici primo, obtusi seu trilateri anguli quaterni, idem praestent, & quadrilateri anguli seni similiter. Itaque strui potest locus solidus ex meris hisce rhombis, sic ut semper quatuor trilateri ut & sex quadrilateri anguli ad unum & unum punctum concurrant. Et ut summa quaedam fiat: quando locus solidus per cubos aequales ordine recto impletur: tunc unum cubum contingunt alii 32. angulis singulis, & praeterea sex quaternis, itaque contingentium sunt octo & triginta. At quando impletur locus solidus per rhombica aequalia: tunc unum rhombicum contingunt alia 6 angulis singulis quadrilateris, &

<sup>1</sup> cfr Pars Prima, EL 227, p.17-21; Pars Altera, EL 228, p.24sq..

praeterea duodecim, angulis quaternis, itaque contingentium quomodocunque sunt octodecim.

Haec igitur illa figura geometrica est, regularis quam proximè, impletrix loci solidi, ut sexangulum quadrangulum triangulum consummatores loci plani: haec inquam est quam Apes effingunt in suis alvearibus. Nisi hoc tantum dempto, quod alveoli carent tectis carinae similibus.

Si enim etiam haec adderent, & quaelibet apis intra alias duodecim seu octodecim abderetur, non pateret ipsi exitus, conclusae circumcirca. Itaque cum tectis non indiguerint, nihil obstitit quo minus latera sena pro modulo corpusculi sui producerent ultra modulum Rhomborum in carinis, efficerentque ea illorum attrinsecus dissimilia.

Porrò si quis grandius aliquod malum Granatum aperiat, videbit acinos

**HAEC FUIT  
STRENAE  
KEPLERIANAE  
PARS TERTIA  
SEQUETUR QUARTA**



## ECHUS VOCES EPISTULAE

D.21.m.Febr. a.2021 h.21:46 scripsit Jan-Piet Knijff:

**Johannes Leoni s.p.d.**

Pro confessione Maupassantiana pol ocissime abs te et emendata et publicata grates, Leo industrissime, tibi certe sunt agenda. De proxima versione Maupassantiana iam cogito, quanquam nullam adhuc aut selegi aut vertere coepi fabellam. Tu autem athleticè valeas cura.

**Leo Johanni s.**

Gratulor tibi de fertilitate tuâ hermeneuticâ! Quo plura convertis, eo melius. Perge quo coepisti! Visne etiam "BELLUM AMICUM" Latinê reddere? Medullitus te salutat LEO.

**D. 22. m.Febr. a.2021 h.17:00 scripsit Jan-Piet Knijff:**

Gratias tibi, mi Leo, pro verbis carissimis. De illa fabula grandi autem nescio, breviores placent narratiunculae. Ceterum scin' tu et Avellanum illum olim fabellam Maupassantianam in Latinum convertisse sermonem? De *Monili* enim loquor, quae fabula continetur libro cui index [\*Mons spes\*](#). Nescio num Latinitas Avellani placeat tibi; non nescio nonnullos esse qui, mea quidem sententia, anomalia eius nimis severe iudicare consuerunt. Mihi contra iucundissumst, etsi saepius verbis inusitatissimis videtur delectari. Bene vale!

**Leo Johanni s.**

Delector nuntiis tuis mihi novis, quos mihi affers de versione Avellani Maupassantianâ. Perlegam "Monile" et fortasse denuo publicabo. Avellani idiosyncrasis mihi haud displicet; pro certo habeo eum esse optimê meritum de Latinitate vivâ. Plurimum mihi placet eius Insula Thesauraria, in cuius praefatione fusê explanat principia sua hermeneutica et logopoetica. Certê mihi non placent omnia eius verba novata et sententiae, sed honor mihi videtur ei attribuendus, quia bene meritus est de Latinitate redanimandâ et refocillandâ. Nos Latinae linguae amatores et conservatores quanti valemus, nisi memoriam servamus et tradimus illorum, qui nobis viam monstraverunt? Nihil nisi balbuli infantuli. Nam qui historiam ignorat, manebit infans in aeternum. Haec hactenus, mox certê plura. Leo.

D.24. m.Febr.a.2021 h.13:11 scripsit teresi\_giovanni@libero.it:

**Exornatissime ac doctissime Director,**

Scriptum meum: "**Quippe cum cognitione formali increscente periculum magis augeatur ...**" Vobis subicere volo.

Si non exstant menda et si insuper hoc Vobis placet, potestis benigne more solito id in lucem edere "Epistula Leonina".

Salutem Vobis dico,

*Joannes Teresi*

Leo Latinus Iohanni Teresi s.

Gratias tibi ago plurimas, quod Epistulas Leoninas symbolis tuis ditificare non desiisti.

Medullitus te salutatur

**LEO LATINUS**

**CHRISTIANUS LAES PROFESSOR ANTWERPIENSIS & MAMUCIENSIS**

d.27.m.Febr. post auroasin suam Bartolianam

**Christianus Nicolao suo!**

Ecce: <https://thepetrifiedmuse.blog/2015/06/20/every-dog-has-his-day/>

Atque gratias tibi ingentes pro verbis atque interrogationibus tuis!

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History

Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp

Stadscampus · S.SJ.303 · Sint-Jacobsmarkt 13 · 2000 Antwerpen

B 2000 Antwerpen

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM UNDETRICESIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 28. m.Febr. a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae